



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Visitantium eum concursus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

quebatur: *Ne me deserat Maria, ne me fallas;*
filius enim tuus sum, tu scis, quia iuraui.

P. Ioannes di Lugo S. Theologiæ Professor, cùm fortè negotium quoddam Deo admodum honorificum præ manibus haberet, id Ioanni commendatum venit; adeò precibus eius fidebat.

Die Iouis manè rumore vulgatum erat, *vistantius* Ioannem de morte suâ clariùs edixisse: hinc *concurrus* magni, quâ nostrorum quâ externorum, in Collegium concursus, se suaquæ precibus illius commendantium. Etiam si enim paucis, ob exiguum rerum tractationem, huc usque notus esset, inclarerat tamen opinione singularis modestiæ innocentiaque, quâ passim sanctus audiebat. Hos inter fuit Illusterrimus Angelus Cæsi, filius Ducis d'Acqua-sparta, qui Ioannis virtutem adeò semper suscepit, ut non raro in Collegij hortum venerit, eius obseruandi caussâ, dum colloquij horâ cum alijs animum relaxaret: simulque illo se spectaculo recreandi, quo omnes, vñico campanæ signo auditio, sermonibus intermissis, silentio summo, ad suas quisque occupationes, in cubicula reuertuntur. Iam nempe id maximo illi quoque solatio erat, eum videre in illo mortis procinctu tantâ animi tranquillitate, tantâ alacritate vultûs iacente, ac si æger non fuisset; audire tam placidè loquenter

tem de morte , de quæ secuturâ vitâ . Cuius orationibus cùm salutem suam commendasset, inde digressus , affirmabat, visum sibi Angelum in eo lecto vidisse iacentem, in quo tam placidè quiescebat, tam expeditè loquebatur, ut nec morbi, nedum mortis, sensum ullum habere videretur.

Iuuenem quemdam nominans (qui bi-
duo pòst in Tyrocinium Societatis erat in-
gressurus) Hic (aiebat magnâ vultus animi-
que hilaritate) meum in locum est successu-
rus. Domino Hieronymo Martelli promisit
se memorem eius in celo fore. Inclinante iam
die, redière Medici, viribusq; defectum repe-
rere. Quibus cùm gratias humaniter habuis-
set, vni eorum, *Eamus*, inquit, *mi Domine, ea-
mus*. Et quo? togat ille: *In cælum*, ait Ioannes.
Roganti Medico, ut sui in cælo esset memor,
promisit facturum lubenter. In discessu, Fi-
lander Medicus, Non est , ait, tanta morbi
huius grauitas, quæ Iuuenem adeò debilitare
possit ; sed illud necessariò cum Hippocrate
dicendum nobis est , *Hic moritur diuinitus*,
aduersis quam vim omnis nostra impar est
medicina.

Iam æger tot visitationibus fatigatus, viri-
busque defectus, sibi ut relinquetur , à Su-
perioribus mandatum erat : at Ioannes, vis-
Patrum Fratrumque præ foribus turbâ , fa-
cultatem

*Opinio Il-
lustriſſimi
Angeli Cæ-
ſi de virtu-
te Ioannis.*

*Judicium
Doctoris
Filandri
de morbo
Ioannis.*